



Concilium celebrat Divum, & jubet omnia summo
 Numina delabi cœlo, Heroasque frequentes
 Præterea ciet, & Nymphas, Geniosque volucres,
 Qui jussas dispersa legant per sidera flammæ.
 Stat Veneris puer, aurata qui cuspide vulnus
 Inferat, & geminum cor vulnere figat eodem:
 Quæ gerit Idæus juvenis florentia ferta,
 Debentur sponsis comptos vinctura capillos:
 Atque ardens rosa cum canis commixta ligustris
 Ardentem signat, puri sed pectoris, ignem.
 Hic ego: fœcundum Junonis numen, & alma
 Cur Venus, Uranie, æterno quæ jungat amoris
 Fœdere felices animas, Lucinaque partus
 Effectura leves, magno propiora Tonanti
 Numina constiterint, cur & Neptunus, ab urbe
 Qui Veneta dat jura mari, se adjunxerit ollis,
 Jam teneo: sed qui cœtus ex agmine tanto
 Heroum gemini solio accedere nitenti!
 Dic age, & inceptum pergens absolve laborem.
 Sic ego quæsieram: sic protinus illa petenti:
 E medio eductas procedere jussit avorum
 Illustres animas (7), totamque ab origine gentem
 Juppiter, egregium juvenem quicumque, vel altam
 Utcumque attigerint consanguinitate puellam,
 Et voluit binos hinc, atque hinc ordine longo
 Percipere adstantes solio sua gaudia cœtus.
 Illa, vides? Pisauriadum (8) densissima turba
 Tot patriæ decorum genus omne insignia gestat.
 Anteit, & curvo capitis diademate gaudet,
 Sceptra tenens quanto vir mentis robore, quantus
 Eloquio, quanta in patriam pietate, fideque!
 Is consternatos timido cum Principe Patres
 Erexit dictis, turpique abrumpere pace
 Inceptum vetuit bellum, atque in publica primus